

testatum fidelium eorundem Regnorum Statuum et Ordinum Zelum benignissimo suscipientes Animo, ut perspectam Nobis, atque tum occasione hujus Militiae Regulationis, cum et alias Belli Pacisque tempore multifarie probatam Eorundem Virtutem et Fidem, pro singulari illa et vera Materna, qua in praelibatos fideles Status et Ordines ferimur Propensione, pro condigno recognosceremus, demisse praesentatis Majestati nostrae medio Exmissorum isthuc e Gremio antelatorum fidelium Statuum et Ordinum Deputatorum, Spectabilis quippe ac Magnifici Comitum Chistophori Orssich ab Orssich-Vára, Equitis Aurati, Tabulae nostrae Banalis Assessoris et Consiliarij nostri, Egregiorum item Joannis Rauch de Nyék, praefatorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Regnorum nostrorum Vicebani, Comitatum Zagradiensis et Crisiensis Supremi Comitum, Tabulae nostrae Banalis pariter Assessoris et Consiliarij nostri, Josephi demum Magdich, Tabulae dictorum Regnorum Judiciarum Assessoris et Consiliarij aequae nostri, quibusdam Postulatis, proque horum benignissima Applacitatione, facta nobis humillima Supplicatione, in uberiores Contestationem peculiaris affectus, quo dictos fideles Status et Ordines benignissime complectimur, et quatenus iidem singularis Clementiae nostrae Regiae perpetuum habeant Monumentum, subsequas iisdem fidelibus antelatorum Regnorum nostrorum Statibus et Ordinibus benignissime confirmandas et respective elargiendas duximus Concessionem. Et cumprimis quidem Banalem, in iisdem Confinijs adusque praehabitam, et in Articulo Quadragesimo Septimo Anni Millesimi septingentesimi quadragesimi primi, inque illo citatis alijs Legibus declaratam Activitatem, imposterum etiam exercendam hisce ulterius benignissime confirmamus. Ex quo porro dicta Confinia semet ex natura sua ad Rem Militarem alioquin simpliciter referant, Eisdem fideles Status et Ordines quoad ipsam praenotatorum Banalium Regni Confiniorum Administrationem, plenam in memorato praefatorum Regnorum nostrorum Bano, velut exactam Rerum Militarium Cognitionem et Experientiam habente, Ejusdemque in Officio hocce Successoribus fiduciam collocaturos benignissime confidimus. Quantumvis porro praelibatus modernus Comes Banus, cui Aerarij nostri necessitates omnino cognitae existunt, eam demissam Majestati nostrae fecisset Declarationem, qualiter Idem proprijs Medijs a DEO dotatus, atque ab alijs, quae ex Clementia nostra Caesareo-Regia sibi collata habet, Officijs, notabilia Salaria percipiens, pendendum ab Aerario nostro Regio, ad Tenorem Articuli Centesimi decimi quarti Anni Millesimi Septingentesimi Decimi quinti, Banale Salarium minus anhelet, quam etiam Declarationem pro nunc et usque subsequutura feliciora Tempora benignissime acceptamus; ad uberius attamen demonstrandam iisdem fidelibus Statibus et Ordinibus Regiam Clementiam nostram, in reale praecitati Articuli Centesimi decimi quarti Anni Millesimi Septingentesimi decimi quinti et aliarum eatenus praehabitarum Regni Legum Complementum, clementer resolvimus: Ut futuris antefatorum Regnorum nostrorum Banis annum Quinque Millium florenorum Salarium ab Aerario nostro, et quidem ex Fundo Cassae nostrae Militaris, pro omni et toto dependatur. Non absimiliter annuimus, quatenus Consilium nostrum Aulae Bellicum Authoritatem et Activitatem suam in iisdem Banalibus Regni Confinijs non aliter, quam hactenus factum fuit, non obstante etiam praemissa Regulatione, exerceat; Tabellas attamen quoad effectivum praeattactae regulatae Militiae Banalis Regni Confiniarum Statum, memorato Consilio nostro Aulae Bellico, ipso Regulationis Statu id secum ferente, Menstruatim submitti volumus. Clementer item